Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM
DE

ANIMI HUMANI AFFECTIBUS,

& speciatim

DE PERCEPTIONE SENSUALI

ex Praescripto Fridericiano

habendam

PRÆSIDE

G. C. SCHELHAMMERO D.

Ser. Duc. Schleswico Holsat. Archiatro, Med. Profess. Primario h. t. Ordinis sui Decano & Collegii Chirurgorum Præside & rel.

Die 4. Januar MDCCX.


publice tuebitur

JOH. VALENTINUS BÜTZER.

Kiloniensis, Med. Cultor.

KILONI

Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.



G. C. S.

DE
ANIMI HUMANI AFFECTIBUS DISSERTATIO.

SECT. I.

PROOEMIUM.

I.



E impetu & affectibus animi, quibus ille commotus exardescit, quoties vehementer rem vel gratam expetit, vel molestam aversatur, arduum & difficile est dicere: cum propter abstrusam eorum indolem, quæ in ipso cordis vel cerebri recessu latens, nullam sui copiam facit, nec videri nec palpari se patitur, sed solius mentis contemplationi relicta est, tum propter varia hominum ingenia, indeque provenientem maximam ubique dissensionem. Accedit, quod, quæ quilibet vel a præceptoribus suis & studiorum directoribus principia in præjudicium veritatis accepit, vel sibi in quacumque re ipsi finxit, impune sequatur, neque aliud sibi negotii datum existimet, quam ut suppositis pro lubitu quibusdam, gratisve sumtis, nexum causarum in animo fortuito formatum, rebus quas tractandas sumsit, utcunque accommodet.

II. Sed quam pernicioſa ſit hæc philoſophandi ratio, illi norunt, qui paulo rectius inſtructi, id quod natura ipſa rerum, & experientia ſuggerit, fallere unum non poſſe, quod autem animus intra ſe fingit, incertum valde, & plerumque falſum eſſe, longo rerum uſu didicere: dudum id monente *Hippocrate in Præceptionibus*, ubi ea
Initio demum laudat ratiocinia, quæ ab apparentibus naturæ (φαινομενα hodie vocant) initium capiunt: ea contra, quæ ex probabili mentis fictione procedunt, πολλακις βαρειην, και ανιαρην επιφερειν διαθεσιν, monet. Unde etiam evenit, quod relicta hodie & rejecta inani illa ratiocinandi licentia, quæ in *Suppono, Suſpicor*, & *Coniicio* plurimum verſatur, ſcientiarum initia prudentiores in experimentis poſuere. At in noſtro hoc argumento tanto majore cum errandi periculo occupamur, quod in re materia carente nulla experiri per ejus naturam conceſſum eſt, quibus ratio ejus a priori manifeſtetur: quæ vero eam conſequuntur, talia quoque ſunt, ut incerta ac lubrica etiam hæc retro euntibus appareat via.

III. Ut autem magnis adeo difficultatibus negotium hoc ſit obſeptum, cum tamen non minus jucundum, quam ex re noſtra futurum ſit, nonnihil diligentius id excutere, difficultas illa nos deterrere non debet: reperiemus enim, Deo duce, quædam forte indicia, & quaſi veſtigia veritatis, quæ, dummodo rite conſequamur, in ſinceram ejus cognitionem nos perducent.

IV. Eſt

IV. Est vero, ut omnium rerum, ita & animi affectuum varia admodum & multiplex, pro cujusvis proposito aut scopo consideratio, quæ facit, ut ad varias disciplinas pertinere videri possit. Nam in quantum sunt animalium, perfectiorum maxime, (etsi ne insecta quidem omnibus careant) affectiones, quæ suis causis atque effectibus gaudent, ad naturalem referuntur scientiam: in quantum in homine, ut homo est, deprehenduntur, ad eos, qui in disciplina morum occupantur, & quo pacto impetus eorum rectæ rationis præceptione frangendus sit, docent: quomodo vero cognoscendi sint in aliis, & dijudicandi qui iis sunt dediti, ad civilis prudentiæ doctores attinet. In quod *Scipio Claramentius* Italus; *Camerarius*, *Cœffetæus* & *Bruierius*, qui *Theophrasti Characteres* transtulit, & multiplici accessione auctos edidit Galli; dein & *Neuhusius*, *Placcius* aliique legi possunt. Denique & *Bellegardius*, itidem Gallus, cujus opuscula, omnia longe pulcherrima, æq; ac Characteres laudati, prostant, ex quibus bene multa huc referri possunt: porro nunc alia consideratione, qua scilicet peccatis nos reddunt obnoxios, spectant ad Theologos: denique, ut vitæ insidiantur, & labefactant bonam valetudinem, eorum doctrinam partim Medici sibi vendicant, & inter causas morborum, ubi sex rerum non naturalium illis dictarum rationes ineunt, solent eos recensere.

De conjectandis mor. & affectic. *De la Chambre Characteres des passions.* *Coeffetau Tableau des passions.* *Theatr. ingenior.* *Semeiot. moral.*

V. Nobis itaque nunc animus est, hoc potissimum

tiſſimum nomine eos ad incudem revocare: attamen, cum citra cognitionem interiorem eorum naturæ, cauſarum, effectuum fieri id non poſſit, etiam Naturalis Philoſophiæ ſilvam cædere, illamque excutere licebit: præſertim cum ab ejus cultoribus, copia rerum obrutis, plurimum negligantur: neque etiam digne ſatis expendi poſſint, niſi auxiliatrices medicina manus porrigat, utpote cujus aſſeclæ inter curandum frequentem eos perſpiciendi occaſionem nanciſcuntur. Et quidni liceret? cum recentes morum moderatores id facere non dubitent, qui longius multo ab his abſunt, & prorſus extra limites, dum id agunt, vagantur, nec niſi mutuo acceptis & aliunde arceſſitis argumentis uti poſſunt; nos autem domeſticis.

CAP. I.

AFFECTUUM NATURA.

1. Quid ſint affectus. 2. Univerſalis eorum ratio. 3. Occaſiones ex cauſa interna. 4 Externa. 5. Illa nobis hominibus propria. 6. Operatio. 7. Nova quorundam ſententia, de quatuor primis: 8. Expenditur.

I.

PRima vero, ut ordine procedamus, quæſtio erit, ex quo genere ſint rerum, & quorſum pertineant; altera quo pacto oriantur, & quibus de cauſis; tertium fuerit, ut proprietates eorum & quid valeant in nobis efficere, cognoſcamus.

II. Et hic in limine ſtatim haud leve dubium

bium occurrit: ambigat enim aliquis, an ad corpus, an ad animam, seu mentem pertineant propius, an denique utriusque sint, & quasi medium quid, quod neq; uni neq; alteri comode satis tribuatur, sed utrisq; conjunctis competat. Id vero, priusquam enodatum est, nihil certi de eorum natura, & si quam] habent, essentia, statuere licebit. Hoc vero cum rectius inquiri non possit, quam si totam eorum historiam prosequamur: id jam aggrediendum est, postquam quid per eos intellectum oporteat, succincta oratione indicavero.

III. *Voco autem affectus animi graves & subitaneos quosdam motus, ex perceptione externæ cuiusdam rei vel negotii, sed & interni nonnunquam, ex memoria depromti, intra nos oriundos, quibus animus ad cupiditatem vel aversionem illius impellatur.*

Intra nos inquam, *oriundos*, quo non viscerum ciborumve, aut quoscunque alios intellectos me velle, quibus de loco in locum transferuntur devoluunturque, quisque perspiciet facile: sed fluidorum, quos fieri in nobis, extra ea, interno subtilique sensu quodam percipimus, quæ medicorum vulgus partes corporis fluidas, (perperam licet, ut alibi nobis ostensum est) ut reliquas solidas, nominare consuevit.

Graves & subitaneos autem dico, quod per experientiam constet, iis obortis, ex objecti oblatione perculsum illico animum moveri, protenusque effervescere, & evehi in majus: nec raro

etiam cito iterum suffocari, si quis reprimat se, & eos prudentia componere studeat, moderati ingenii homo.

IV. Dixi porro: *externæ alicujus rei vel internæ, ex memoria depromtæ* memoratione etiam excitari affectus. Tametsi enim frequentissime accidat, ut sensus speciem istarum rerum ad mentem deferant, non raro tamen intus, ex sola cogitatione intra semet ipsum commoveri animum experimur, quoties illa de re quadam grata admodum, vel vehementer etiam ingrata incidat. Quin *desiderium* ex interna hac causa frequentissime, & pene sola nascitur &, si cum *spe* fruitionis futuræ conjunctum est, læte se ille effert; si vero difficultatis & incertitudinis plena sit, *tristitia* & sollicitudo; ubi vero præcisa penitus est spes omnis, *desperatio* oritur. Sic ingratæ contra rei recordatio, si præteriit, *tristem pœnitentiam*, si in proximo sit ut fiat, *metum* injicit, *anxietatem*, crucem animo figens: si talis sit, ut possit saltem deinceps contingere, *timorem*.

V. Ut autem hæc ita habeant, & absentibus, atque a sensibus remotis objectis æque ac præsentibus generentur affectus, multo tamen a præsentia ipsius efficacius id fieri observatur, & pro rei natura quæ sese ingerit, impetuosius. Quod non ignorabat Poëta omnium in humani ingenii ad oculum demonstranda volubilitate, artifex maximus, ubi *Phædriam Thaidis* amore incensum introducit, de ea quidem absente vehementissime con-

Ter. Eun. 4. l. 2.

conquerentem, at egrediente in conspectum, longe validius afflictum, hinc:

Totus inquit, *Parmeno tremo, horreoque postquam adspexi hanc.*

Videtur autem hoc nobis præ ceteris animalibus proprium esse, ut absentis etiam rei cogitatione commoveamur: bruta enim, etsi memoria itidem, ut nos, polleant, ut jam tum Aristoteli observatum est, præteritorum tamen, vel futurorum, nisi rursum in præsentiam veniant objecta, nullo neque desiderio, neq; cura eorum tenentur; nisi quis Veneris stimulum huc pertinere putet, quo in coitum impulsi, fœmellæ appetitu exardescunt: quod tamen naturæ potius instinctus est, quam affectus: salacitatem enim eò referre, incongruum videtur. Rectius forte ea excipias, quæ in societate, maxime conjugali, vivere assolent: sejuncta enim, & consueto consortio exclusa, desiderio absentium capiuntur, cujus rei alibi de anseribus memorabile exemplum in lucem produximus: sic canes etiam per magnas satis viarum intercapedines, ad dominos redire gestiunt, iisque repertis, blandissimis gesticulationibus lætitiam suam testantur. *I. Metaph. i.*

VI. *De cupiditate vel aversione* quod addidimus, nulla dilucidatione indiget, est enim id ipsum, quod veteres *appetitus concupiscibilis & irascibilis* nomine, prudenter quidem, sed incondita loquendi consuetudine dixerunt, ad quæ duo genera affectus omnes facile redegerunt.

VII. Quod enim recentioris Philosophiæ docto-

res

res quidam quatuor affectus primarios (Passiones dominantes Gallorum more appellitant) præeunte viro hodie percelebri, constituunt, ad quos ceteros reducant: Voluptatis, Ambitionis, Avaritiæ Cupidinem, & amorem rationalem, in quo is magnum parentem, summum, sui temporis Philosophum *Jacobum Thomasium*, cujus & nos doctrina, dum viveret, usi sumus, præeuntem habuit, qui

Phil. Pract. Tab. IX. in *Tab. Phil. Pract.* tres illos priores jam olim commemoravit: quanquam in vita civili horum consideratio non exiguum habere usum, & originem esse multorum, si non omnium, malorum, atque animi etiam affectuum, agnoscam lubenter, ad affectus tamen ipsos pertinere, mihi quidem non videtur, cum potius naturales quædam (imo non raro & adscititiæ) propensiones videantur, e quibus nascuntur affectus atque emanant. Quæ si intra mediocritatem consistant, justitiæ præceptionibus temperatæ, dum carent impetu illo, qui in omni animi commotione adesse solet, affectus censeri non possunt: ubi vero cupiditas illa in habitum excrevit, non tum amplius affectus, sed vitia sunt, virtutibus suis opposita: avaritia præsertim, quam ad affectus reliquorum Philosophorum nemo unquam retulit, nec voluptatum amorem, nec honoris immensam, ac malesanam libidinem. Affectus autem est, si quis, occasione & objecto impellente, in voluptatem feratur, aut sodalis contemtim habiti facultates, virtutes, honores, in-

vidia

vidia prosequatur, aut aliena bona vehementer expetat: quæ sunt longe diversissima.

XII. Atque hæc adeo non invito ipso clarissimo auctore asserere mihi videor: quippe qui alibi ea non amplius affectus, sed *vitia* capitalia (die drei haubtlaster) nuncupat, & ut talia depingit: & recte quidem. Ut enim initio, præsertim in pueris, affectus videri possint, attamen deinceps, si quis ex ephebis egressus, non iis indulgeat modo, eaque approbet, sed etiam det operam ut lubidinem suam expleat, non amplius propensionis, aut affectus nomen sustinere possunt, sed aperte in vitia morum transeunt: & ejusmodi homo vitiosus est, cum ille, qui affectu quodam, in quem propensum animum habet, prehenditur, etiam frequenter, vitiosus tamen non sit, sed impotens. Ideo in definitione affectus subitaneos motus nominavimus, non tantum motus, qui, ut efferunt animum celeriter, ita, subsidente ebullitione, plerumque etiam cito rursum defervescunt. Quod vero amorem rationalem attinet, is multo minus affectibus accenseri potest, cum sit potius ipse amor virtutis, honesti nomine omnibus jam dudum notus, & ad appetitum rationalem, (etsi in hoc etiam affectus esse quærendos Cl. Durrius existimat) referendus, ut cupiditates priores ad sensitivum referre æquum est.

Ausüb. der Sitten Lehre XII. Haubst. ex alibi.

V. Chr. Thom. Phil. Pract. tab. IX.

CAP. II.

HISTORIA EORUM.

1. De modo, quo fiant, Cartesius primus cogitavit. 2. Duplex origo affectuum. 3. varia eorum conditio ac vis, pro sensibus, quibus moventur. 4. 5. Qui ex quibus. 6. Progressus eorum. 7. Duratio, 8. 9. 10. Consequentia.

I.

HIS ita perspectis, propius accedamus ad rem, & quomodo rerum perceptio in nobis affectus cieat, quove ordine singula fiant, inquiramus. Qua de re cum veteres nihil admodum nobis reliquerint, quid recentis seculi doctores providerint, indicabimus. Ubi optime quidem prævivit, facemque prætulit *Illustris DesCartes*, & primus forte munivit viam, quamvis quibusdã præjudiciis suis occupatus, non ubique attigerit veritatem. Nam & motus in corpore principium non recte accipit, & de anima ejusque sede perperam sentit, nervorum denique & spirituum naturam & usum, Medicis rectius quam Philosophis perspectam, non satis assecutus est. Et cum presso pede asseclæ eum sequantur, ne ab his quidem est quod certiora expectes: ut adeo ex hac parte Philosophia ista pene doctoribus suis destituatur. Liceat ergo nobis nostram sententiam liberius paulo, ubi ab eo dissentimus, exponere: ut vero tanto certius assequamur veritatem, ab iis, quæ obvia sunt, exorsi, proficisci ad institutum pergemus.

De Pass. An.

II. Cum

II. Cum ergo ex dictis constet, primum ab iis, quæ extra nos geruntur, affectus in nobis moveri, deinde & sola cogitatione eos in nobis gigni, eam tamen ipsam cogitationem non ex se, sed tum demum oriri, cum de rebus olim perceptis denuo in mentem venit, non opus fuerit, duplicem hanc eorum originem seorsum contemplari, sufficiet ea percensere, quæ sensibus affectis, contingunt. Rebus vero externis præsentibus, earumque specie in cerebrum delata, internum illud principium, quod in nobis percipit, moveri persentimus, illumque motum, si non admodum res tangat nos, vel in memoriæ sedem deferri, ibique deponi, vel si minoris adhuc momenti sit, illico extingui: quodsi vero vel jucundum vel ingratum videatur, non quietum se continet illud perceptionis principium, sed ea quæ in cerebro sunt fluida subtilissima, (spiritus hinc animalium medicis dicuntur) commovet, ex quo mox animus alterationem patitur, & cum spiritus illi cerebri terminis non contineantur, sed diffundant se, & etiam pergant in sanguinem, eumque itidem commoveant, corpus etiam non raro afficitur, usque adeo, ut & morbi hinc excitari possint, &, nisi obsistas, mors. Quæ cuique ita manifesta sunt, ut ostendere, inutile fuerit.

III. Non tamen omnium externarum imaginum eadem in animum vis est atque potestas, ut æquali impetu eum percellant, sed pro sensuum

diversitate. Quæ oculis cernuntur, maxime & celerrime id faciunt, tardius, quæ per aures illabuntur, tertio loco est tactus, quarto gustus: si modo dignus est qui hic recenseatur: cui par odoratus est, nisi quod spiritus (quod tamen extra hunc locum est) ita afficiat nonnunquam, ut deliquium patiantur qui minus ferundo sint. Verum hæc non tam animi permotione quadam fiunt, quam corporis, & imbecillitate naturæ eorum.

IV. Neque omnium pariter sensuum objecta eosdem, sed alia alios in nobis affectus producere observantur: *Visu* amor, indeque connascens fruendi desiderium; aversio, & hinc consequens abominatio oritur; ad extremum, si ne noceat etiam, periculum sit, timor: *Auditu*, imo, quod huc referas, lectione etiam (est enim tacitus sermo, & pictura loquens literis consignata oratio) eadem prorsus, sed præterea & ira, odium benevolentia, invidia, magis quam visu, dolor, animi sollicitudo, lætitia, tristitia, & quod huic fere proprium est, militaris animi fortitudo, ac robur. Unde tympanorum tubarumque strepitus in bello usum invenit, animi enim constantia ac magnitudo & denique furor eorum clangore excitatur. Terror autem & misericordia utrique eorum communia sunt.

V. Reliqui, *Tactus*, quem proximum posuimus, & qui huic vel cognati, vel subordinati sunt, *Gustus Odoratusque*, vitæ potius quam

animi

animi caussa condicti, voluptatum vel dolorum origines ac fontes, nullos admodum affectus in animo concitant, sed solius corporis perceptione terminantur? gaudium enim aut lætitiam, voluptuosas eorum fruitiones, indeque natum amorem, tristitiam odium, parere, minus proprie dici, patet: neque enim ipsas quas percipimus res, amare vel odisse videmur, sed voluptates aut molestias quas producunt, vel illos qui inferunt homines. Solum desiderium bonorum absentium, & nauseam quandam, vel abhorrentiam eorum efficit recordatio: sed ut hæc non nisi stimulante natura accidunt, ut in fame & siti omnium clarissime videre est, sic verè affectus dici non merentur; nec de Veneris desiderio aliter se res habet, nisi corruptus consuetudine animus cœco quodam & beluino quasi impetu feratur. Hæc sane ad animum non pertinere, sed inferiorem quandam facultatem, conservando generi nostro unice destinatam, nemo non videt: habetque ipsa salacitas pariter ac cibi potusque appetitus suam originem in corpore. Conjugalis autem amor aut etiam amicæ, huc referendus non est, quoniam longe aliud quam hujus sensus principium agnoscit, & maxime rationalis est: quæ autem præter rem hic contingunt aut superveniunt, de essentia ejus minime sunt, sed ex illis, quæ per accidens philosophi dicunt fieri, & his accedunt potius, ac superveniunt. Ceterum de naturalibus ejusmo-

di motibus, quæ ad corpus pertinent agit quoque, eosque ab affectibus sollicite distinguit ac segregat judiciosissimus *Cartesius I. Pass. An. Art.* 24.

VI. Sed redeamus ad affectus, animadvertentes & hoc: Motus istos omnes, qui ab extraneis rebus procedunt in animum, initio quidem vehementius nos percellere, sed deinceps, semota specie, quæ eos excitaverat, labascere, & sensim imminui. Ex adverso, qui ex internorum sensuum recessu proveniunt, & intra animum ipsum gignuntur, in principio leves esse, meditatione vero & cogitatione assidua non modo arctius inhærere, sed quotidie insuper incrementum capere. Ita qui tristitiæ indulgent, continuo mœrore tandem consumuntur; quin melancholici evadentes, non raro despondent animum, sibique ipsis violentas inferunt manus. Idem de amore notum est, ut denique aliqui ex eo extincti legantur; luculentissimum vero exemplum est in ira, cui nisi resistas gnaviter, & magis frequenter invadet, & facilius te vincet, inq; gravissima præcipitabit pericula. Nam ea eorum omnium est ratio, ut adsuefactione majorem in nos capiant vim, & quo sæpius admittas, eo promtius & vehementius incendantur, nec facile postea reprimi aut expelli possint. Pariter ac illi, qui corruptis moribus, & in pravas libidines proni feruntur, tandem in iis habitum acquirunt, easque magis magisque desiderantes, pleno

pleno curſu, quoties occaſio ſe offert, etiam cum vitæ ac ſalutis diſpendio, in eas ruunt, moriq; citius præoptant, quam voluptatibus ſuis nuncium mittere.

VII. Quocunque vero modo ortum ſumant, id etiam ſolenne ipſis eſt, ut cito quidem & cum impetu plerumque adveniant, non pari autẽ velocitate recedant, ſed tempore opus eſt, ut ſubſideat ebulliens fervor, & animus ad quietem reducatur: haut aliter ac a ventis concitati maris fluctus, ſedata etiam procella, per horas plurimas, imo dies ſævire non deſinunt. Neque ratio, in auxilium vocata, ſtatim ſuperare illos eſt potis, etſi vel maxime, etiam id exoptes; non magis ac temulentiam vincere valemus, ante quam vinum in cerebro ſpiritus tumultuantes agitare deſinat, illique veniant in poteſtatem.

VIII. Sentitur autem interea in cerebro haut obſcure quædam notabilis alteratio, quæ id perturbat, percipiendi facultatem lædit, cogitationes inter ſe miſcet, memoriam obruit, judicium obtundit, ſpirituum confuſo motu. Quod ſi violentior eſt commotio, dolor capitis conſequitur, ejus generis quem tenſivum medici appellant: hunc vero excipit quædam debilitas, ad vertiginem quaſi tendens, vel febris, imo aliquando in imbecillibus natura ipſa lipothymia, poſtremo & apoplexia, non raro lethalis.

IX. Neque mentem ſolam ac ſpiritus, ſed ipſum ſanguinem quoque permovere obſervantur

tur, ut pulſus velocior urgeat, & arteriam altius attollat, unde corpus incaleſcat, haut parum, aut contra etiam, oppreſſus ille langueſcat, & minuatur: aliquando & horror tremorque corripiat, expalleſcat vultus, recedente vel potius non influente, ſed ſtagnante ſanguine. Nonnulli ſudore frigido perfunduntur, aliqui etiam uno momento caneſcere viſi ſunt, aut in gravem quendam morbum inciderunt. Ita puella eximia & liberalis, dolore animi, ex morte ſororis cariſſimæ accepto, in Cardialgiam, & palpitationem cordis incidit, diu inexpugnabilem. Illuſtre etiam exemplum eſt a Cl. *Riedlino* annotatum *Lin. Med.* Sed quæ maxime omnium ex ejusmodi animi perturbationibus noxam ſentiunt, fœminæ ſunt, præſertim ſi menſtruali ſanguine fluunt, aut uterum gerunt, aut lactant. Et illæ quidem protenus fluxu ſubſiſtente, vel in febriculas, vel convulſivos motus incidunt, menſibus ſæpe in perpetuum ceſſantibus, aut ægre ſeroque reſtituendis; iſtæ de fœtu periclitantur; his vero, momento lac corrumpitur, quod niſi emulgeant, puſiones plerumque, epilepſia ſuperveniente, intra paucas horas conficiuntur.

Anno I. Jun. lin. 24.

X. Viciſſim vero iidem affectus animi nonnullis pro beneficio fuere, ut ex magnis & inſanabilibus morbis illico ſint eluctati. Podagricus, cum graviter decumberet, orto in vicinia incendio, terrore perculſus, e lecto, ad quem vel appropinquantes antea dolorem inferre ipſi videban-

videbantur, subito prosiliens, per scalas salutem quærit, veloci cursu nullum dolorem percipiens, se proripit, & dum vitæ salutem quærit, plus invenit, atque a malo suo simul liberatur: neque enim ab eo tempore dolores pedum eum amplius invasere. Alii, qui inopinato in carcerem abreptus, ibique conclusus est, idem evenisse legitur. Sic qui fortunam propitiam habent, etiam ex infaustis casibus felices successus experiuntur.

CAP. III.

QUOMODO EXCITENTUR IN NOBIS. SENSUUM RATIO.

1. *Antiquorum de sensibus mens.* 2. *Recentiorum.* 3. *expenditur.* 4. *In quo verum adsecuti, & quousque, in visu,* 5. *in auditu,* 7. *& reliquis.* 8. *eorumque errores.* 9. *Vera ratio argumento apodictico ostensa, & ab objectionibus liberata.* 10. *Exemplis illustratur dogma.* 11. *Dubiis obviam itur.* 12. *hisque stabilitis, insolentes recentiorum locutiones rejiciuntur.*

I.

HIs de iis quæ in animi motibus obvia sunt, prænotatis, interiora eorum scrutari par erit, & maxime causas. Quas ut felicius assequamur, quomodo ista omnia in corpore procedant, & per quas vias, sive externe advoluta, sive intra animum cogitata, & quo pacto in eum agant, investigare studeamus.

II. Primo autem loco quomodo externæ species rerum in sensus organa perveniant, ea-

que afficiant, inquiramus: de qua re doctores in diversa abiere. Qui antiquam Philosophiam amplectuntur, veram rerum conditionem per meras species, quas spirituales nonnulli eorum vocarunt, veramque imaginem sui nobis innotescere, sunt persuasi, ad oculorum exemplum, eorumque fabricam provocantes: quem cameræ obscuræ quæ hodie appellatur, similem esse, nimis jam manifesto constat. In his igitur, ut in illa, imagines rerum scitissime pingi, sicque offerri animæ existimant: quæ figuram earum percipiens, de longinquitate, magnitudine, reliquis, ex consuetudine quadam recte judicet, quantum ad finem assequendum requiratur: ita vero etiam de auditu & aliis rem habere opinantur, paremque omnium sensuum esse rationem,

Vid. Sennert. Phys. L. VII. c. I. & alios.

III. Ab his, qui recentem Philosophiam præferunt, longissime recedunt, non per imagines in mentem illabi rerum species asserentes, sed nervorum, quæ e cerebro in sensuum organa procedunt, tenuissima filamenta, vel ab objectis, ut in tactu, & gustu, vel a mediis fluidis, quæ ab his moveantur prius, ut in visu & auditu, moveri, eaque mota, tremula quadam propagatione eundem motum in cerebrum inferre, animaque hinc non ea, quæ in objecto sint, sed quæ in cerebro fiant, motum illum tremulum scilicet, percipere: de quibus *Cartesius* hujus dogmatis auctor, potissimum legi potest. Quin ima-

Dioptr. c. IV. & VI. Pass. An. I, 12.

imagines, licet concedantur, nunquam tamen objecto similes esse omnino (alias enim nullum inter utramque discrimen fore) profiteri non verentur. Quæ tamen ratio, tantisne Philosophis sit digna, ego quidem non dixerim: quasi vero inter picturam & hominem pictum, cui quam simillima est, nullum discrimen interesset. Certe videtur hic, & in iis quæ sequuntur, qui horum auctor est, fluctus in simpulo ciere Philosophus, & nodũ quærere in scirpo. Alii longius etiam in negotio isto procedunt, & ne ullam quidem perceptionis nostræ cum re percepta similitudinem esse, persuasum eunt, sed occasione objectorum de præsentia rerum nos admoneri quidem, species autem, quas sentimus, non esse illarum, sed in cerebro oriri, quæ est *Job. Clerici*, celeberrimi inter hodiernos Philosophos, quam a Franc. Malebranchio didicit, sententia: hincq; eosdem effectus etiam iis absentibus in corpore nostro ab aliis, & vel sola cogitatione produci posse, contendunt. Nimis longum foret, ea omnia diligentius excutere, imo fortassis a scopo nostro alienum: strictim tamen id fieri, nihil prohibet.

V. Ejus Physf. c. IV. c. 7. & Malebr. Recher. detr. Ver. c. 4.

IV. Est autem in ambabus his opinionibus, ut reliquis meditamentis plerisque hominum, fortassis aliquid falsi cum vero mistum, ut neutram vel rejicere penitus, par sit, vel totam admittere. Nam antiquis concedendum est, veram speciem rerum, nempe superficiei, figuræ & coloris, ex radiis lucis utcunque a corporibus ex quibus redeunt, modificatis, offerri: qua-

rum plane easdem esse conditiones, quæ in imaguncula retinæ occurrunt, non modo idem sensus in camera obscura, imo ipso oculo e cadavere eruto, & postica ex parte aperto (quod experimentum Cl. Cartesio debemus) perspicue testatur, sed de prioribus binis & tactus confirmat, qui utique nihil in iis diversum deprehendit: est autem huic nullo modo deroganda hic fides. De coloribus vero, etsi lucis & umbræ reflexione oriri credantur, idq; de refractis per vitra pellucida certissimum sit, eorum tamen quæ per reflexionem opacorum se nobis offerunt, longe alia est ratio, neq; hinc distinctio inter reales & intentionales, ut vocant, tollitur, ut dudum Zahnius aliiq; optici præstantiores ostenderunt. Illi enim non specie inani nos fallunt, quod isti faciunt, sed ex superficie corporum per modificationem radiorum primam originem sortiuntur, indicantve aliquid, quod etiam extra cerebrũ nostrum subsistit, nempe certum superficiei modum, ex particularum dispositione resultantem, quo ab aliorum superficiebus corporum differt, isque ipsus est, quem colorem rubrum, album, viridem nominamus, & quorum in animo peculiares fiunt sensationes.

V. Neque aliter in *Auditu* accidit, ubi pro corporum varia materia, compactu, collisione, varius sonus editur, ex quo illorum naturam satis certe licet conjectare, quoniam hæc corporum collisorum species non minus conveni-

ens

ens est rei, quam prodit, neque sonus in aure demum nascitur, (multo minus in mente ipsa, ut illi volunt) sed per aerem modificatum eo defertur. Cujus rei rursum documentum non Echo tantum, sed & oculorum testimonium præbet: nam collidi corpora sonantia, & tum illico nasci sonũ, clarissime cernimus, ex quo in cavernas artificiosissime fabrefactas delatus, varie reflectitur, etiam pro eorum fabrica in immensum augetur; quo, quod per reactionem particularum aeris, per quem ferebantur, perdidit, recuperet: prout libro de auditu, a me ante hos viginti plus minus annos mathematice, ac apodictice, multoque ni fallor, evidentius quam a D. *Du Verney*, quem solum citant Philosophi nostri, quia Gallus est, demonstratum fuit.

VI. Nec *Odor*, qui naribus excipitur, in cerebro, sed in his ipsis est: ex effluviorum, quæ membranam earum internam movent, appulsu generatus. Hæc enim effluvia veræ sunt particulæ odoratæ, quas salinas volatiles & oleosas esse, jam ante bis mille annos *Theophrastus Eresius* (licet non usus sit illis loquendi formulis) haut obscure subolfecit, Chemici vero hodie clarissime docent: quæ tamen organo sensorio non instructis intermediis, aliisve corporibus, ab iis percipi non possunt; nihilo magis quam imagines rerum & sonitus: quo non obstante, per media ista ferri particulas has, nemo dubitaverit: etenim ubiubi sistantur, promte se dant obvias. Sic & *Sapidæ* & quæ *Tactu* deteguntur, tales sentiuntur, quales

reapſe ſunt, non vel minima ſpecie nobis imponunt.

VII. Ex quibus jam, quid veri falſique alterutri opinionum ſubſit, conſtare poteſt. Fatendum enim profecto eſt, recentiorum induſtria longe elegantius doctrinam de ſenſu & ſenſili præ antiqua eſſe excultam, recteque ab iis rejectas ſpirituales illas ſpecies, quæ ex corporibus exeant, & in animam ſenſitivam ex mente priorum immittantur, cum nec quid ſint, cujusque generis, dici queat, nec illæ per aerem ſine ſuſtentaculo libere ferri, & per tantam diſtantiam propagari in momento, (quod in viſu accidit) ac nictu oculi citius poſſint: itaque id quod ſentimus, non eſſe idem, quod vulgo putatur, haut temere monuere. Viciſſim autem, ne quidem modos corporum eorumque ſimulacra a nobis percipi exiſtimantes, adeoque nihil veri his omnibus ſubeſſe, ſenſusque nos fallere, cum ideæ in nobis ortæ reique perceptæ nulla prorſus ſit convenientia, ſed ſola occaſione motus fibrillarum nervearum in organo perculſarum affectionem quandam in nobis excitari plane ab his diverſiſſimam, atque incognitam, arbitrati, longius a vero abiere, quam par erat, & ex Scylla in Charybdim inciderunt.

VII. Nimis enim id compertum eſt, quod jam ante viginti & unum ſecula Stagirites nos admonuit: *Omnes ſenſationes* (adeoque perceptiones) *fieri tactu quodam*: quod & *I. Clericus*,

cus, Philoſophorum hodie princeps, fatetur, indeque omnes ſenſus ad unum poſſe referri, tactum ſcilicet, exiſtimat. Quicquid autem tangit *Phyſ. l. IV.* ſenſorium, aliud ei, quam quod habet; imo quod 10, 4. ipſum eſt, offerre non poteſt: ex quo ſane res ſeſe dare, quales ſunt, neque ullo modo nobis imponere, liquido patet. Id quod etiam ex mutua, quam nobis in hoc cognoſcendo ſenſus præſtant, opera, modo a nobis commemorata, mirum in modum confirmant, ut alio teſtimonio opus non ſit. Itaque ergo nosmetipſi nos fallimus, aut judicio noſtro, non ſenſibus fallimur.

IX. Quod enim nobis objiciunt: *Colores* nihil extra mentem noſtram ſimile habere in corporibus, in quibus percipiuntur, ut ex Iride & priſmate vitreo pateat; *lucem*, oculo in tenebris percuſſo, etiam nullo corpore lucido præſente percipi; *ſaporem odoremve* eundem alios gratum, alios ingratum experiri, falſoq; putari, in corpore ſapido eſſe amarum, dulce & cetera, quæ in lingua demum oriantur; in igne vero eſſe *calorem*, quem percipimus, perinde abſurdum eſſe dictu, ac in acu eſſe dolorem: ad hæc omnia reſpondere in facili eſt. Uno enim verbulo, eoque Ariſtotelico: (modo veniam dent exoſo nomini, nec ad ejus, tanquam mali Dæmonis mentionem, refu- *L. II. de* giant) omnes iſtæ tam graves prima ſpecie diffi- *Anima c. 5.* cultates evaneſcunt. Docet is, τὸ αισθητικον ουκ ειναι ενεργεια, αλλα δυναμει μονον. Quod de ſenſorio ibi dictum, etiam de ſenſili utique verum eſt.

Neque

Neque enim actu, seu ipsa re talia illa sunt, qualia sentiuntur, sed potentia: hoc est, potestas ipsis est producendi in sensorio talem perceptionem, qualem sentimus.

X. Nimirum, ut Medicis solenne est, & ab omni ævo receptum, vinum calidum dicere, etsi actu frigidissimum sit, terrea frigida, sicca multa, non quod sint, sed quia in corpus recepta, illud exsiccant, radices etiam plurimas calidas, humidas, cum frigidæ & aridissimæ exhibeantur: sic etiam calidum ignem, aquam frigidam, Rhabarbarum amarum, dulce saccharum esse intelligendum est: ita enim loqui nos cogit Latinæ linguæ Græcæve verborum penuria. Nostra enim Germanica, hæc probe distinguit, illamque ambiguitatem quæ in verbo *Calidum* est feliciter solvit, Vinum, piper, & cœtera non calida appellans, (warm oder heiß/) sed calefacientia (quod Latinis barbarum est) hitzig/ ex quo fons erroris apparet. Sic iidem Medici morbos celeres acutos appellant, quia Græcis ὀξύς & celer & acutus significat, quadam vocis ambiguitate ducti, cum de febre acumen prædicare, absurdum sit. Itaque vulgum non recte accipere, dum qualitates illas, quas sensu percipit, in rebus ipsis ponit, bene, ut modo innuimus, monuere: tam stolidum autem fuisse etiam Philosophos, ut in rebus esse dulcedinem, amaritatem, calorem, qualia ab ipsis sentiantur, merito dubites.

XI. At enim, si dulce esse profitemur, particulas

iculas ex acido aut pingui cum humore certo modo ita temperatas habens, ut linguæ papillas nerveas cum quadam blanda titillatione mulceant; asperum, quod superficie inæquali manus per eam ductæ iter moratur; molle quod digitis facile cedit; cœruleum, flavum, viride, quod superficiem ita dispositam nactũ est, ut incidens lumen remittat tali colore imbutum, ecquis idem percipi quod est in rebus, aut id quod sentimus simile esse illi quod iis inest, amplius negare audeat? Nam radios cum ex superficiebus redeunt, colore jam reapse imbutos esse & ratio, & experientia testatur: videmus enim lumen per globosum vitrum aqua plenum refractum, non modo in oculos nostros, sed in chartam etiam & album parietem coloratum incidere, quod fieri non posset, si non colorati ex vitro prodirent: id quod nobis hic sufficit, etsi in vitro colores illos non esse, in aperto sit. Interim si falso colore imbui se patiuntur, eumque per aerem vecti servant, quidni a superficie modificata materiæ suscipiant eundem & servent itidem? Quod si quis ulterius procedens, modumque etiam perquirens, colores æthereaum minimarum motum ita temperatum describere exactius velit, & possit, per me licebit: etsi ea res plerumq; ita in obscuro esse videatur, ut excedat humani aciem ingenii. Lucem deniq; ipsam eodem modo e corporibus lucidis emanare, atque inde in nos reflecti, inficias iri non potest: sed quia solis discus non imminuitur (quod ta-

men alii igni omni accidit) nihil ex ejus ſubſtantia ſecedere, credibile eſt, ſed ætheri motum imprimi rapidiſſimum, cujus impetus tanta impulſus vi, niſi interpoſito craſſiore fluido diaphano frangatur, nervos viſorios vehementius ferit: quod idem aeri ex ſono accidit, qui auditorios. Illa itaq; corpora hoc ſenſu & potentia eſſe lucida, ſonora, colorata, ſapida, & reliqua, oſtenſum eſt.

XI. Attamen ſuperſunt nonnulla, quæ nobis obſtare videntur: 1. Percuſſis noctu oculis, aut mane evigilantibus, ſcintillæ, aut *lucis* quædam ſpecies, nullo corpore luminoſo in præſentia exiſtente, videuntur erumpere. 2. *Sapores* iidem aliis ſuaves, aliis ingrati percipiuntur; 3. *doloris* in acu ipſa nihil eſt. Hæc quoque dilui æquum fuerit. Et *lucem* quidem illam apparentem, reliquias eſſe quaſdam ex diurnis radiis, aut etiam, quod Bartholinus, libro de luce tuetur, inſiti oculis lucis ſplendor, aut ætheris inhærentis, credi poteſt, potius quam motus ſolius ſobolem. Indicio eſt, quod perfrictis oculis, eædem eliciantur, & poſt acrem intuitum in ſolem, ſubmotis oculis, clauſiſque, pares ſcintillæ in mediis tenebris ſubſultantes appareant, quas reliquias eſſe ſimiles, manifeſtum eſt. *Voluptates* autem *Sapore* percipiuntur, aut *moleſtiæ*, quæ non ſunt ipſi ſapores, nec ad eos pertinent proxime, ſed eos conſequuntur: idem de dolore, *Tactus* ratione judicandum venit. Dolor enim ex eorum quæ tangimus, aut quibus attingimur, figura

ac duritie, tanquã remotior sensus, & effectus provenit, non est id quod sentitur primo: ut enim serra, dum lignum dissectat, dentes imprimens, aut securis dum findit, si illud sensus particeps esset, dolorem quidem in eo producerent, non nisi secundo tamen loco; ferri enim configuratio sentiretur prius: ita & acus proxima perceptio non in dolore, sed acuminatæ cuspidis figura est posita: nam inde est dolorum varietas, quæ a medicis tam exacte discernitur, ut est vel findens, vel lancinans, gravativus, tensivus, causarum in his cognoscendarum gratia, magno ægrotantium bono.

XII. His omnibus perpensis, nulla erit causa, adversus receptam sententiam, sensuumque fallaciam hoc nomine tam acriter insurgere: neque opus hinc erit, Philosophiam penitus invertere, damnare antiquos, novas in scholas introducere loquendi formulas, quin potius evitare licebit tot insolitas, atque in auditas, quibus turbatur juventutis animus, & in odium veteris Philosophiæ concitatur, voculas: *Absurdum esse fingere, id esse in re mere corporea, quod in mente nostra sentimus:* quod sane hoc sensu neutiquam absurdũ est, altero vero illo, quo ipsi qui id dicunt, volunt, indeque insultant omni vetustati, nemo unquam hominum hac loquendi ratione est usus, sed nominibus *sensationis* & *sensilis*, barbaris licet, discernere quod in mente fit, ab eo quod in corpore, omnes omni tempore consuevere. Tales etiam sunt: *Colores non esse in objecto, sed esse modificationes:* *V. Clerc. c. l.*

 item

item: sonum, visionem, nil nisi commotionem cerebri: lucem esse modificationem cerebri, & quæ sunt aliæ istiusmodi, inconditæ sane, & vero philosopho indignæ, ex eo natæ, quod non satis rem expenderint. Dictum oportuit: *perceptiones harum rerum fieri in cerebro, aut in mente, non ipsos colores, sonos, &c. qui sane fiunt in superficie rerum, aut in aere, non cerebro*: colores enim esse modificationes ætherearum particularum a corporibus visis, sonos aerearum a collisis prodeuntium, jam compertum: cerebri vero has esse commotiones, aut modificationes, falsissimum est, quin & mentis modificationem non minus falso quam barbare dici, cum anima modum accipere, & quidem ex motu rei corporeæ, non possit, liquido patet. Sed post Cartesium ita invaluit modorum substantiæ & modificationis verbum, ut in qualitatum & aliarum hodierno seculo exosarum locum pari potestate ac tyrannide successisse videri queat, cum neque minus sit barbarum atq; illud, & nihilo plus inde sapiamus.

CAP. IV.

DE PERCEPTIONE, UT FIAT.

1. Transitio. Qui sensuum organa descripserint. 2. de loco perceptionis: sententia veterum, in organo percipi; & recentium, in cerebro. 3. idque per nervos, 4. Utriusque rationes. 5. An anima sit in toto, & tota in qualibet parte. 6. bruta an sentiant: Cartesii modestia. 7. Ratio negantium & dissensus. 8. Experientia: hanc contra rationem valere. 9. Bruta non esse automata. 10. id

10. *id afferentium rationes*, 11. *Quid in his desiderari possit.* 12. 13. *Refelluntur.* 14. 15. *Fons erroris detectus.* 16. *Bruta sentire, perspicue ostenditur.* 17. *Experientia.* 18. *Animam brutis concedendam.* 19. *Præter mentem & corpus tertium quid esse* 20. *non repugnat.*

§. I.

PAulo longius abeundem fuerit, si & cæteros ejus generis errores excutere lubeat. Quoniam tamen evagari cepimus, & hoc iter sumus ingressi, non erit incongruum, doctrinam nostra animadversione dignissimam totam percensere, & quomodo ad affectus movendos externarum rerum ideæ intra animum penetrent, plenius dare. Nec tamen organorum fabricam sollicite delinabo; quod aliorsum pertinet, & fecere id dudum alii: *Oculum* quidem ex *Mathematicis Scheinerus*, ex Medicis *Fortunatus Plempius*, ex Philosophis ipse *Illustris Cartesius*; *Aurem Du Vernay*, *atque ego*, utrumque etiam *Hier. Fabritius Aquapendens*, & *Julius Casserius*, Professores Patavini, splendididissimis figuris: *Linguam & cutim*, tactus organon, Italorum diligentissimus sector *Malpighius*; *Olfactus* vero, prolixus ille Catarrhorum explanator *Schneiderus*, illustrarunt. Nobis id monuisse sufficit, in omni sensus organo præcipuam partem, in qua fiat sensus, intimo in recessu latere, esseque vel nervorum fibrillis contextam, aut iis intertextam membranam, qualis in oculis, auribus, naribus, manife-

ſta eſt; vel papillas, ut in reliquis duobus obvias, in quas nervi deſinunt. Huc appellente rerum ſpecie, ſenſum fieri manifeſtum eſt: qui autem fiat, & ubi ab anima percipiatur, id quidem maxime controverſum & ambiguum adhuc videtur.

II. Veterum omnium ſcripta ſi excutiamus, indubitatum ipſis viſum eſſe reperimus, in organo id contingere: animam enim, per totum corpus diffuſam & ubique præſentem, ubi ſiſtuntur objectorum imagines, ibi eas percipere. Quod dogma abſurdum nimis præſentis ævi Philoſophis exiſtimatum eſt, qui animam, ſive, ut invita univerſa Latinitate loqui malunt, mentem, in ſolo cerebro reſidere, perſuaſum habent. Porro autem, cum, quicquid percipitur, in ſola illa percipi crederent, in cerebrum deferri oportere percipiendorum ideas, ut ſenſus fiat, conſtituere. Quæ opinio tanto magis regnare cepit, poſtquam mentem ſolam intelligere, ſentire, imaginari, corpus omne brutum eſſe, preſſius urgeri ceptum eſt. Hinc ſenſum in cerebro, ſolaque anima fieri, corpus nihil percipere, tanto calore defenſum eſt, ut etiã nonnulli, *LeGrandio* potiſſimum præeunte, bruta ſenſibus carere, quia mentem non habeant, aſſeverare auſi ſint; quin inter automata referenda eſſe, adeoque ne vivere quidem vera vita, magno plerorumque applauſu, & gratulatione clariſſime prodidere.

III. Pervenire autem ad animam ideas nervorum, qui ex eo in ſenſoria organa procurrant, ope, docue-

docuerunt. Tria enim in iſtis occurrere: primum membranulas, quibus involvantur, deinde internam eorum ſubſtantiam, ex fibrillis tenuiſſimis conſtantem, quæ ad extrema membrorum omnium deſcendant, talesque ſint, ut ab invicem ſejunctæ, libere fluctuent, quo ſeorſim moveri poſſint, nec ſe impediant motæ: poſtremo eſſe Spiritus animales, qui inſtar venti aut aëris ſubtiliſſimi, per eos ad muſculos evehantur. Ex his Spiritus muſculos regere, motuique præeſſe, filamenta vero, aſſiduo Spirituum affluxu expanſa, ne collidantur, ſenſibus inſervire, eo modo, ut pro vario ipſorum motu, eodem etiam momento illa cerebri pars afficiatur, ex qua nervus deſcendat, ex eoque motus genere mentem exiſtimare, quale nam ſit quod ipſi offertur ſenſibus. Attamen, cum ſimilitudinem imaginumve convenientiam cum rebus nullam agnoſcant, quomodo fiat, ut anima non decipiatur, aut commota nervi alicujus fibrilla, aut pluribus, ita percellatur mens, nullam cauſam afferre poſſunt, ſed ſolam DEI voluntatem id efficere, plerique eorum contendunt.

Vide Carteſ. Diopt. c. IV. 5. Princ. Phil. V, 189. &c.

IV. Quænam igitur harum ſententiarum vera ſit, operæ pretium erit, expendere. Habet autem utraque ſuas rationes non invalidas: ex quibus utrisq; commune eſt, & certum videtur, corpus ſine anima nihil percipere, nihil omnino ſentire: neque enim quenquam veteris ævi tam inſenſatum fuiſſe unquam puto, ut corpus ex ſe ſen-

ſentire ſtatueret. Interim & hoc longe certiſſimum viciſſim eſt, neq; animam ſine corpore percipere quicquam, aut ab externis corporibus, niſi iſto interveniente, pati poſſe: quod multis documentis oſtendi poſſet, ſi opus eſſe videretur, quorũ præcipua mox adducemus. Verum in hoc diſſidium eſt: an in organo ſtatim, illabente imagine, an vero poſt demum in cerebro percipiatur: & ubi percipiens ſive mens ſive anima reſideat. Ex parte priorum ſtat, animamque per totum corpus eſſe diffuſam, ſuſpicionem facit, quod vitam per omnes partes ita diſtributam eſſe videamus, ut ne minimum ſit corporis punctum, quod ea careat, eamque in multis, frigidioribus præſertim animalibus, amputatis quibuscunque partibus, plurimas horas, imo dies perdurare: vitam autem non minus ac ratiocinandi facultatem ab anima eſſe conſtat: ubi ergo vita, ibi & anima, quo ſtabilito, nihil obſtat, quo minus in organo ſtatim perceptio rerum fiat. Alteram ſuſtinent duæ cauſæ: primum quod ſine cerebro nemo exiſtimare quicquam, aut ratione uti poſſit, quod itidem eſt animæ: tum, quod in capite omnes fieri cogitationes, conceptus animi, phantasmata, quin & memoriam ibi inhærere, ſenſu quodam percipimus, atque experientia: usque adeo, ut ex nimis acri meditatione obtundi ingenium cognoſcatur, & cogitando feſſis, vertiginoſus capitis dolor, & quaſi defectus quidam mentis ſuperveniat.

V.

V. Regerunt quidem isti, nullum hinc ad se pervenire incommodum: id enim non ideo fieri, quod illic solum hospitetur, sed quod in cerebro spirituosi illius fluidi, cujus ope utitur, copia inveniatur, nam pro variis organis varie operari: esse enim totam in toto, & totam in qualibet parte, ut omnibus functionibus præesse possit. Sed non omnes difficultates expediunt: nobilem illum spiritum & immortalem, aliis quam istis functionibus præesse, ne quidem credi potest, maxime postquam mechanicis rationibus atque obviis pleraque fieri, hodie non ignoratur: nec dogma allatum mente concipi potest. Quicquid enim totum in parte est aliqua, id neque in reliquis, neque in toto amplius esse potest.

VI. Verum & alteros, cum solam mentem hanc immortalem percipere, usque adeo calide propugnarunt, ut hinc brutis negarent sensus, non est dubium, longius a veritate abiisse, immemores vulgaris dicti: *ita fugias, ne præter casam*, multoque cautius delicatissimam sententiam proposuisse videtur Magister eorum & antesignanus *Cartesius*, qui etsi mentem solam sentire & ipse *Princ. Phil.* asseveret, & animam brutis neget itidem, ut illi *l. 9. & IV.* negant, tam duris tamen loquendi formulis se- 189. dulo abstinuit. Et vero mentem, perinde ac hominibus, illis qui largitus sit, ex omni antiquitate nemo est: nemo tamen etiam iis propterea sensus abrogavit, quibus ea gaudere, æque ac

 homines

homines, tam evidenter experientia facit palam, ut eam repudiare, omnemque certitudinem humanæ cognitionis e medio tollere, facilius sit, quam ista non credere.

VII. At enim, dicunt, cum præter entia cogitantia & extensa nihil extet, mente autem bruta careant, fieri nullo modo potest ut sentiant: non enim corpus, sed mens sola percipit, adeoque & sentit. Sed quod pace tantorum virorum dictum sit, decepit illos oblatane an quæsita vocis ambiguitas: nam *Perceptio* illis non est præsentis cujuscunque rei sensum ferientis simplex animadversio, sed quæ cum reflexione ipsius mentis, & ut loquuntur, *Conscientia*, *sentiri aliquid*, est conjuncta, ita ut *sentire, idem sit illis quod cogitare*. Quod vocis significatum usque adhuc omnibus ignoratum fuit, nec unquam extitit vel ex Philosophis vel ex vulgo, qui perceptionem sensibus factam ita acceptam voluisset. Iniqui ergo illi sunt, qui præter rationem imo præter rem, primum usum vocabulorum propria auctoritate immutant, & deinde alios accusant erroris, qui tamen ex nova ista verborum acceptione, iniqua vero illa & erronea ipsa, demum nascitur. Etenim tria hic contingunt in animo, quæ etsi eodem tempore fieri videantur, successive tamen fiunt. Primum est, oblatæ speciei, qua tangitur, appulsus & impressio, dum certo motu sensile ferit nervorum in sensorio extremitates: quæ cum ab eo agnoscitur, qualis sit, alterum est: ter-

Cartes. I. Princ. 9.

tium

tium perficitur, cum de ea cogitat, bona an mala; certa incertave, atque alia ejusmodi expendit, aut se illam percipere considerat. Hæc tria reapse esse distincta, quilibet agnoscit: nam primum etiam cœcis, surdis, aliisque sensibus privatis accidit, alterum omnibus, qui iis non carent, tertium non nisi illis, qui attentius considerant, & meditantur. Confundenda ergo non erant, Philosophi enim est distinguere: quod dum illi non faciunt, committere, quod Logici vocant *Fallaciam compositionis & divisionis* palam est, contra quam Magister illos monuerat qui *pro veris habere vetat, nisi quæ clare & distinctim* percipiantur.

VIII. Detecto itaque hoc fonte erroris, & sejunctis quæstionis partibus, propius in rem controversam intueri licebit. Et vero primum idearum illapsum, de quo præcedente egimus capite, sensum non perficere constat: neque eam quæ fit, tertio loco, super illas res, quarum accepimus simulacra, contemplatio, ad eum pertinere, quisquam dixerit. Sola ergo perceptio impressionis externæ rei, si accurate loqui libeat, sensus nomen sustinet, eumque complet. Hæc autem est, quam brutis omne ævum concessit, non cum conscientia perceptionis, aut quod de ea re cogitet ulterius: (quamvis & hoc ea facere quodammodo, certaque ratione cogitare, forte alibi demonstrabitur,) sed quod præsentẽ esse rem, & se ea tangi cognoscant: nam ita sentire, ut sciant, nemo credi unquam postulavit, ut in hoc utrisque non

male conveniat. At ubi ulterius progrediuntur, & etiam medio loco recensitam sensionem omnemq; perceptionem illis denegant: minus quam par est venerari tot seculorum consensum, & contra experientiam ipsam frustra tendere videntur. Quæ tamen ubi pugnat, frustra rationes opponi, existimandum est, omnesq; potius tentandas esse explicandi vias, quam ab ea recedendum: ratio enim non satis perspecta nobis esse potest, & hinc nos fallere: experientia vero, si recte accepta est, perpetuo certa & fallere nescia, ut in omni re dubia huic potius fides addicenda sit: quod Medici, qui circa eam maxime omnium versantur, optime perspectum habent, & in hoc etiam negotio, jam spero patescet.

XI. Nam quod eo nunc confugiunt, ut cetera animantia automata esse, & ut truncos aut lapides ab aliis corporibus externis, nullo conspirante interno principio, moveri statuant, adeo difficile est creditu, ut vel in mentem venire viris, insigni judicio alias pollentibus, vel aliis persuaderi probarique unquam potuisse, demirer. Cum enim corpora corporibus non nisi vel mole vel virtute & impetu se superantibus, ex æternis motus legibus moveantur, visus autem subtilissimo æthere, auditus aere, iisque non nisi leviter impulsis, constent: qui possunt magnitudine ac pondere immane quantum superans animale corpus impellere, tanta vi, ut ocius aura pericula fugiant, aut promte adeo advolent animalia ad ea

quæ

quæ cupiunt? Omitto reliquos ſenſus, craſſioribus quidem, ſed quæ non magis tanto conatui pares ſint, partibus moveri ſolitos.

X. Sed his quo pacto obviam ire conentur, operæ pretium eſt expendere. Ajunt igitur, non tam magna opus eſſe vi, ut nervorum filamenta, quæ ſpirituum animalium influxus plane libera præſtet, moveantur, quæ inde in cerebrum protenſa, iisdem id modis, quibus ab externis rebus mota ſint, porro afficiant, unde mens advertat: ex cujus voluntate, in homine quidem, ſpiritus animales in muſculos alios atque alios influant, prout ad motum quem intendit, opus fuerit. At in brutis, quamvis anima ſeu mente deſtitutis, idem tamen opus fieri poſſe: *machinam enim corporis ita eſſe conſtructam, ut ſpiritus per nervorum, qui ſenſibus in nobis deſtinati ſunt, motum ab* externis rebus impreſſum, cerebroque illatum, *moveantur, & aperiant quosdam poros ibi exiſtentes, per quos in muſculos movendo corpori idoneos influant: eodem ergo hic modo ut in automatis ſola virtute manuclæ & figura rotularum,* varios motus contingere. *Carteſ. Paſſ. an. 1, 16.*

XI. Et hæc quidem hactenus bene: cum autem manuclæ in automatis non ſponte moveantur, ſed ab artificis manu moveri poſtulent prius, id vero principium movens primum, internum quidem, non neceſſarium arbitrentur, reſtat, ut ſpecies illas ſenſibiles manuclæ vicem ſimul & manus eam moventis officium præſtare, co-

gantur concedere, quod ſane abſonum eſt. Fac enim nervorum fibrillas moveri, nullus inde motus ſequetur, niſi ſimul illi aperiantur in cerebro pori, quos hiare convenit in muſculos moventes. Quod ſi ergo quæras, quo directore accidat, ut ſpiritus poros, muſculis illis debitos, qui movendi ſint, neque alios aperiant, nihil audias, quam *eos per cordis calorem excitari.* Quod, ut influant iis apertis, ſufficere quidem poteſt: at ut veri, deſideratique aperiantur, omnino alio directore opus erat, quem nullum reliquerunt. Itaque vel uno hoc nomine in ſententia iſta acquieſcere nullo modo poſſum.

XII. Verum & alia ſunt, non minoris momenti, quæ eam penitus evertunt. Nam de nervis quod ſupponunt, filamentis intra membranam ſuam non cohærentibus conſtare, quæ ab appulſu ſpecierum moveantur, & hunc motum in cerebrum inferant, falſiſſimum eſſe, facile oſtendi poteſt. Etenim ut probent novum hoc dogma, non argumento aliquo ſolido, & ex rei natura petito, ſed ſimilitudine quadam utuntur. Ut in trabe aut baculo, inquientes, ſi unum ejus extremum tangatur, ad alterum, tremulo ejus motu, tactum perduci videmus, aut ſonum per chordæ tenſæ totum tractum propagari: ſic etiam in nervis, ab uno extremo, ad ejus originem motus quilibet decurrit. In quibus nihil omnino roboris eſt: nam ſimilia illuſtrant quidem, ſed non probant, niſi ſimul exacte iis, de quibus ſer-

ſermo incidit,ſimilia eſſe,aliundeconſtet: hic autem & maxima ſubſtantiæ diverſitas eſt, & conditionis filamentorum valde diſſimilis ratio. Nam in trabe & baculo pariter ac chorda, ſolo rigore fibrarum fit, ut tremulus ille motus, & efficiatur,& propagetur. At nervi flaccidi ſunt & molles, adeoq; tremori, & tactus hinc propagationi prorſum inidonei. Præterea, quod aſſerunt, nervorum fibras, ſpirituum affluxu expanſas, intra membranam ſuam *non collidi*, ſed libere fluctuare, *neque ſibi obſtare invicem*, (quo varietatem ſenſualium rerum in cerebro repræſentari poſſe, demonſtratum volunt) anatome falſitatis convincit: nam filamenta illa arctiſſime ſibi innectuntur, ita ut nulla arte ſingula ſiſti ſeorſim queant. Accedit, quod ut accurate ictus receptos reddant, tum ligneas fibras, tum inteſtinales chordas aridas eſſe conveniat: humor enim interpoſitus ſonum intercipit, motum autem tremulum impedit, quo ſecius ab uno extremo ad aliud percurrat, nervi autem largo, perpetuoque humore madent.

XIII. Nec magis admitti poteſt, quod de machinæ corporis animalis ſtructura comminiſcuntur. Nam cerebri quos narrant pori, qui ſpirituum ope aperiri claudive poſſint, nusquam apparent, eſtque merum hoc commentum inane, ſed ex nervorum principio, (quod non eſt cerebrum ut illi putant, ſed oblongata medulla, etſi hoc ad rem noſtram nihil faciat) in nervos aditus ſemper patet,nullaque apertione indiget. Ponamus autem,

val-

valvulas nervis adesse, vel alio modo aperiri poros: tamen, cum unius nervi e cerebro orti infiniti sint, in quos dispescitur, rami, ramulive: quid impediverit, quin aperto tali poro, non in omnes simul musculos, sæpe contrarium motum efficientes, influeret spiritus motor? In glottide avium, (Gallos & Gallinas specta!) quanta vocis varietas? cum non nisi unum nervorum par æque omnibus inserviat. Nisi ergo director adesset, quid terminaret fluidum illud mobilissimum, & ad omnes partes pari virtute abiens, ut hos potius quam contrarii motus musculos petat, & in motum agat, cum dudum porum illum in cerebro superaverint. Quo magis perspicuum est, novo dirigente esse opus, ut spiritus rite influant, qui præterea cum sint corpora, corpora vero omnia bruta sint, nec ex seipsis moveri possint, restat ut ab alio: in quod frustra calor allegatur, quippe qui eos animare quidem possit, at dirigere non possit. Taceo, frigida animalia, quibus calor est admodum debilis, motus sensusque plerumque velocissimus; quibusve, etiam erepto corde, diu motus perdurat, ut morsu viperæ etiam altero die post resectum caput interfecti legantur. Quicquid vero hujus sit, negatis prioribus illis, quæ adducta in sententiæ explicationem fuerant, sero ista, ac necquicquam disputantur; simul & de manucla non opus amplius est verba facere, totaq; hæc fabula, cum omnibus suis machinis sine machina ex aere cœlove arcessita dissolvitur, nec aliam, quam ingeniosissimæ confictionis, auctori suo gloriam relinquit.

XIV.

XIV. His ita propulsis, acquiesci quidem posset, nec aliis destruendo dogmati argumentis esset opus: ne tamen quicquam faciamus reliqui, quænam maximo ejus auctori errandi fuerit ocasio, etiam expendamus. Quam duplicem invenio: primam, supra allegatam, quod *nullam sine cogitatione perceptionem contingere posse*, haberet persuasum, *cogitare autem solam mentem*. alteram, quod videret, *tam varios motus, mirosque affectus ab automatis humana industria fabrefactis edi posse*, in quibus tamen nullus ejusmodi spiritus movens includatur. Ex quo recte sibi inferre videbatur, cum præter ens cogitans & corpus nihil ejus menti sese offerret, *bruta autem membris partibusque gaudeant infinitis modis præstantioribus* quam sint organa automatum: ergo hæc omnia sine sensu, beneficio istorum, facile fieri posse.

Prin. Phil. I, 9. 32. & 48. Dioptric. Cap. IV. Methodi p. m. 35.36.

XV. In quo fefellisse summum virum insignem speciem veri, ex dictis in aperto est. Sed neque justam ejus argumentationem esse, cognoscitur: firmissima enim philosophorum regula est, a minori ad majus non valere processum. At multo majus est sensus quam motus: ut ergo hic automatis indi arte mechanica possit, non tamen potest etiam ille, illudque ipsum est, cui experientiam omnium seculorum reclamare, antea monuimus: Contra brutorum genera interno motus principio gaudere, non modo exemplis, sed & argumentis ostendi potest. Primum anatome cerebri humani & brutorū credi id postulat: quod

enim domicilium, id etiam incolam, quod organon, etiam operationem habeat, necessum in natura est, nisi frustra omnium rerum conditorem laborasse, arguere hinc velis: id vero admittere, nefas est. Nihil autem in hominis cerebro ac sensuum organis ostendi potest, quod in brutorum desit, nihil in his, quod non etiam in homine appareat.

XVI. Deinde ex iis quæ peragunt animalia bruta, id patet. Disciplinae capacia esse, negari non potest; saltim eorum plurima: ex quadrupedibus canes, equos, elephantem maxime, ex avibus, psittacum: quem & vidimus pullos gallinaceos, qui in caveam ejus, in solo collocatam intrantes, pabulum ipsi præripiebant, advocasse omnes, & blande compellantem invitasse, iis vero ingressis, ante introitum se collocantem non prius cessasse, quam omnes successive, obtorto collo raptos interfecisset. Ex marinis Phocam variis artibus instrui, circulatores ostendunt: quæ omnia non sine perceptione & memoria earum rerum, quas sensibus perceperant, perfici ab ipsis posse, automatis nullo modo imitanda, liquido patet. Et quid illis experimentis fiet, quibus ab insidiis hominum ac violentia sibi cavent? Non apes, non formicas hic adducam testes, sed aviculas, e longinquo conspicientes venatorem, insuetas quidem, non curare, sed insulas maritimas non hinc longe dissitas, secure inhabitare, ut vel manibus capi possint: alibi vero, ubi bombardis eas prosequuntur, conspecto e longinquo illarum

larum ſplendore, non intra ictum conſiſtere, ſed aufugere velocibus alis. An non hic dicendum eſt, percipere, & quodammodo expendere iſta, quæ ſenſerint olim, & ejus conſcientiam habere? præſcire ſaltim nocitura, fugaque ſibi conſulere: id profecto nemo negare poteſt, niſi præjudicio plane occœcatus, aut refractarius. Neque hic naturalis inſtinctus locum habet, cum non niſi per experientiam id diſcant, ad quam memoria opus eſt, quam automatis nemo concedet.

XVII. Quid dicam amplius? Motus, qui automatis invitus eſt & coactus, animalibus ſpontaneus plane: quod illi perperam, & pene frivole negant. Quid evidentius quam docta animalia ad nutum hominis omittere vel arripere cibum, etiam dum maxime eſuriunt: quid? non juſſa domini vel levi membri cujusdam motu comonefacti promte capeſſunt? ne dicam verba intelligere, quamvis ejus etiam rei certiſſima exempla in promtu ſint? Odorari vero ferarum & dominorum veſtigia, & per aquarum interſtitia interruptam ejus viam ingredi, nihil eſt: ſingularum etiam ferarum internoſcunt, & leporis aliûs quam quem pedum impreſſiones capta ut, prætermittunt, primo viſum pergunt proſequi, nec facile aberrant. Quæ ſane omnia experientia ita obfirmata ſunt, ut ea vivere: non ſunt autem talia ſenſuum carentis automati, ſed animalis ſuo modo intelligentis.

XVIII. Ad alterum dubium, *nullam sine cogitatione perceptionem fieri posse*, non jam opus est respondere. Concedetur facile; nihil enim habet insoliti assertum, neq; etiam nostræ sententiæ adeo adversi, ut solvi difficultas inde nata non possit. Quin brutis cum sensibus etiam animam quandam intelligentem concedendam esse, etsi nostra multo inferiorem, nec immortalem; &, si sine cogitatione sensus esse non possit, hujus etiam non omnino nihil, largiri possumus. Quod etiam ab ipsius Cartesii dogmatibus non est plane alienum: enimvero, *si percipere, sentire, imaginari* &c. *est cogitare*, etiam bruta cogitant: percipere enim, vel ex memoria qua pollent, & quibus ad nutum mandata exequuntur, fidem faciunt; imaginari, in somno subinde editus ejulatus perspicue ostendit; sentire autem, non opus est rursum constituere, cum jam dudum evicerim.

Cartes. Princ. Phil. I, 9.

XIX. Ecquis vero, ut porro dicam, præter animam humanam, seu, ut illis loquendi mos est, mentem & corpus, nihil amplius existere, nostratibus in tanta rerum caligine atque incertitudine, tam certo revelavit, ut necessum sit credi, tanquam articulum fidei? Quis Dæmones, Angelos, Deum, mentes esse, seu entia cogitantia, nec præter ea & corpora esse quicquam, sponsor est? quin Deum, & animam nostram, & spiritus creatos esse ejusdem plane naturæ, ἄτοπον videtur: cogitare vero Deum, ut nos homunciones, in eoque essentiam Divinam constitui, blasphemum

dictu

dictu, ac deteſtabile. Longe enim illuſtriori, & omnes cogitandi modos longiſſime excedente ratione Numen perſpicere, complecti, ac velle omnia, aſſerere nullus dubito. Imo noſtram animam ne cogitare quidem in nobis, niſi ope ſpirituum animalium, experientia diſcimus: cum iis oppreſſis ſomno, defatigatis, aut alibi occupatis, aut affectibus turbatis, cogitationem quoque intercipi, diſturbari, præpediri, nemo, niſi ultro cœcutire velit, non perſpiciet: quod clariſſime oſtendunt ſopor, epilepſia, lipothymia, apoplexia, totque genera deliriorum, in quibus non magis ſui juris eſt illud ens cogitans, quam canis aut lupus in rabiem actus, eademque cum his animalibus hominem pati, clariſſime deprehenditur.

XX. Ut igitur ſpiritus eſſe immortales, qui vel plane ſupra omne quod concipi poteſt, cognitione & contemplatione & diſcretione rerum, noſtrum illum ſuperent, vel etiam excellentiori gradu quam cogitari poſſit, res ſuas peragant, nullum dubium habet: ſic non video, quid poſſit obſtare, Deum omnipotentem etiam aliud genus mentium ſeu animarum, noſtro inferius creare potuiſſe, quod minus excellenter cogitet, ut tamen proxime ad nos accedat: ut eſt quidem mira brutorum nonnullorum ſolertia. His enim præter cognitionem etiam memoriam eſſe, ſupra monui aliquoties, ut per plurimos annos tam beneficiorum quam injuriarum memores, has quidem vindicent, pro illis vero grata ſe exhibeant, & offi-

ciosa, quod annales plurimis exemplis perhibent, docentque. Quæ sane omnia, non authomatis cujusdam, sed intelligentis suo modo officia sunt. Concludimus hæc & quasi obsignamus Joh. Lockii, insignis viri prudenti contemplatione. *Si Deus voluisset, non esse dubitandum, etiam materiæ cogitandi facultatem eum largiri potuisse.* Id quod nos magnopere probamus: quis enim dubitet de potestate omnipotentis Dei? At multo faciliori opera, si illud potest, cognoscendi & percipiendi virtutem subtilissimæ cuidam æthereæ, cœlestisque fortassis naturæ materiei committere potuit, quali bruta dotata esse, hactenus saltem non repugnare, ostensum est.

L. de Intell. 3a.

XXI. Duplex scilicet cunctis animalibus principium internum est motus: vitale unum, alterum cognoscitivum, cujus tamen in nobis simul immortalis anima officio fungitur. Illud in corde habitans (igniculus fortassis subtilior) cum sanguine aut alio huic substituto humore, sub caloris specie in cunctas corporis partes influit, illudq; ad sensum motumq; recipiendum disponit, nutrit, vegetat: argumento est, quod hoc influxu prohibito, oppressove calore, (ut cum brumali gelu membra occupantur) sensus motusq;, vitæ unica documenta & signa dispereunt. Hinc est etiam, quod cor, ejus fons & scaturigo, vitæ choream incipit, & (in perfectioribus saltim) dum micare, pulsareque cessat, eam finit. De hoc ergo haut temere Ill. *Cartesius*: *calorem concinnum inesse cordibus nostris, qui species sit ignis, quem sanguis vena-*

venarum nutriat; & hunc ignem esse principium corporale omnium motuum nostrorum membrorum. In quibus nihil deest de veterum sententia, nisi quod Animam non appellaverit.

XXII. Alterum animale, internum principium, quod cognoscitivum appellavimus, in cerebro residens, alio cum fluido, sed multo sanguine subtiliori, ita ut sensus fugiat, pariter atque illud vitale, per universum corpus se diffundit, sensumque non modo, sed & voluntarium motum, nobilioremque ac veriorem vitam infert. Hoc omnium animalium actiones dirigit, & in perfectioribus ad rationalis animae effectus proxime accedentes operationes edit. Quem in finem per Spiritus illos seu fluidum subtilissimum, sive jam hi vehiculum ejus sint, sive ipsa illa cognoscitiva natura, per nervos horsum prorsum vertit se, & instar radiorum solarium (quo simili jam olim usus est Galenus) nictu oculi citius, seu jam externis afficiantur rebus, seu interno illo, quorum principio in motum concitentur, omnia penetrat, atque illustrat.

XXIII. Neque aliter cum anima nostra immortali agitur, quae hanc inferiorem facultatem in se una cum ratiocinandi, intelligendique penitius omnia, praestantissimo habitu complectitur. Haec perspiciens, altiusque rimatus ingeniosissimus Cartesius, tametsi *in cerebro & glandula piniformi animam specialiter collocatam* voluerit, tamen & *totum corpus* Princ. Phil. IV. §. 189.

infor-

informare, simul asserere non dubitavit. Imo de passionibus agens, disertis verbis, *Animam*, ait, *esse revera junctam toti corpori nec posse proprie dici eum esse in quadam parte exclusive ad alias.* Tanta vis est veritatis! ut vel invitis, ubi ad se redeant, exprimat confessionem, & per velum erroris, radiis suis ubique transluceat, nec se totam abscondi patiatur. Quid enim aliud hoc est quam veterum illud: esse totam in toto, & totam in qualibet parte, si contradictionem tacitam illam tollas. Scilicet hoc vult Philosophorum hodiernorum Princeps: in cerebro quidem inhærere, ibique suum domicilium, Regiamque habere sedem, sed tamen exinde cum spiritibus animalibus, qua patet corporis ambitus, diffundi.

Part.I,30.

XXIV. Quo jam admisso, de loco etiam ubi fiat sensatio certioribus esse licet: nihil enim amplius obstat, quin aperte jam profiteamur, primam perceptionem in organis sensuum ab adstante quam proxime & cum spiritibus per illa diffusa anima fieri: reflecti vero cogitationes super ea in cerebro, ubi spiritus cogitationes motu suo perficiunt: intelligitur etiam, cur utriusque animæ, tam vitalis quam alterius illius influxus ad motum sensumque concurrendi tanta sit necessitas. Et hæc jam de perceptione & sensuum, quibus animi affectus potissimum commoventur, omni historia atq; indole, dicta sunto.

